

† A. R. P. Henricus Goldmann (1883-1944)

(Prov. Germ. Inf.)



*Eichsfeld* est in centro Germaniae, ubi Thuringia et Saxonia saeculo XVI ope Martini Lutheri ab Ecclesia Christi misere sunt avulsae, quaedam oasis catholica; cum enim politice ab Archiepiscopo-Electore Moguntino dependeret, iuxta stultum istud principium *Cuius regio, eius religio* fidem servavit vel saltem ope Iesuitarum recuperavit. Postea diu erat pars dioecesis Paderbornensis; nunc ad dioecesim Fuldensem pertinet. Nobis ibi inde ex a. 1921 est domus *Heiligenstadt*, de qua videri possunt *Analecta* 1939, p. 88-91.

Iam ante *Kulturkampf* nostri multas missiones tibi praedicarunt; sed primus Redemptorista Eichsfeldiae est P. Henricus Goldmann, natus 16-XI-1884. Pater eius Christophorus in Diedorf habebat cauponam et rei tabellariae administrationem (*Postagentur*). In universum vitam dedit octo filiis et duabus filiabus. Matris frater, parochus et vicarius foraneus

Becker in Grünterode, Henrici in baptismo patrinum egerat et postea eum saepe ac diu ad se invitabat. Eius igitur domui quoque, praeter domum paternam adeo religiosam, debetur quod Henricus in tota sua vita habebat agendi modum adeo urbanum, comem, quasi nobilem, et quod in suis rebus erat semper ordinis ac munditiae sectator. Insuper huic sacerdotali avunculo, praeter insignem nostrum missionalem P. Andream Hülsmann (1), debuit Henricus cognitionem nostri iuvenatus Vaalsensis.

Forti animo puer 13 annorum Aprili 1897 in longinquam Hollandiam proficiscitur volens fieri missionarius Redemptorista. Revocatur quidem domum iam insequenti mense ob mortem dulcissimae matris, verum filii vocatio inde nullum detrimentum patitur. In fine iuvenatus P. Director Jacobus Litz Henrico hoc dedit testimonium: « Condicipulis est carus; mitis est, modestus, ostendens quamdam morum elegantiam. Mihi videtur esse animo nobili praeditus atque ingenio excellenti ». Defuit quidem eius ingenio omnis originalitas, quae dicitur, sed eo magis possidebat artem aliorum scriptis bene utendi.

Absolutis in Congregatione studiis Patri Goldmann, inde ex 10-VIII-1910 sacerdotali dignitate insignito, remanebant 33 anni vitae, ita sub divinae Providentiae ductu distributi: Per 11 annos (1911-21 et 1924-25) egregie de Congregatione meritus est ut Lector iuvenatus. Per 9 annos fuit missionarius, assidue laborans in plaga occidental et oriental et centrali Germaniae septentrionalis. Per 5 annos (1931-1936) fuit primus et unicus Director parvi iunioratus Westfaliani Winterberg simulque hospitii Superior. In hoc tempus incidit gravis eius aegrotatio ex venarum ac pulmonum inflammatione, ita ut 17-XII-1931 munendus fuerit ultimis sacramentis; incidit quoque argenteum eius sacerdotii iubilaeum, ad quod etiam studentes Geistingerses invitavit, ut amoenitates illorum montium gustare possent. Triennio 1936-39 praefuit communitati Trevirensi illicisque duodeviginti studentibus, qui in Seminario episcopal tunc studiis vacabant (2). Tandem inde a nominationibus a. 1939 usque ad mortem fuit Rector domus Coloniensis simulque Consultor-Admonitor Provincialis.

Paucis Congregatis in fine vitae tanta preferenda fuere quanta Patri Goldmann. Communitas, habitans in Köln-Ehrenfeld, Geisselstrasse 96, iuxta magnum conventum Sororum a Paupere Infante Iesu, Kalendis Augustis 1941 ipsa se dissolvit, ut ita anteveniret violentam suppressionem atque ejectionem e finibus Rhenaniae. P. Goldmann habitaculum invenit in eadem fere regione metropolis Coloniensis, in via Vogelsanger, quod refugium tamen nocte 21-22 Aprilis 1944 bello aëreo destructum est. In vicinia reperit aliam, licet miserrimam habitationem. Mensis Octobris fuit Coloniae ultra omnem descriptionem mensis terroris. Dicunt incolis millies quingenties signum datum esse monitorium appropinquare exercitum aëreum cum suis missilibus mortiferis et ignivomis (*Flie-*

(1) De eo vide *Analecta* 1929, p. 125-131.

(2) Cf. *Analecta* 1951, p. 21.

geralarm). Medio Octobri plane eversum est vicinum magnificum templum *Sankt Mechtern*, i.e. « Sanctorum Martyrum »; aedificatum in loco martyrii S. Gereonis et sociorum e Legione Thebaica. Eodem tempore in Geisselstrasse habitatio Patris Flesch, hodierni Superioris Provinciae, funditus destructa. Inter pluviam globulorum igniferorum P. Flesch SS. Sacramentum e via Geissel in viam Vogelsanger portavit, dum P. Goldmann sua parva lampade electrica ei inter tenebras viam monstrat.

Dies 30 Octobris fuit novus dies terroris pro Ehrenfeld, ubi P. Goldmann in loco subterraneo vivebat. Hoc quoque refugium illa nocte novo missili gravissime laeditur. Datur tandem signum cessationis periculi finale. P. Goldmann exit ad videndum, egeatne foris aliquis suo sacerdotis auxilio. Ei obviam fit cappellanus Hayn paroeciae *Sankt Mechtern*. Simul eunt ad vicinam aream Neptuni. Ibi inopinato disploditur machinamentum bellicum. Rev. Hayn protectionem quaerit et invenit sub aliquo muro, dum confrater noster, aliqua assula (*Grenatsplitter*) gravissime in dextro femore et crure vulneratus, in via concidit. Petit mira animi tranquillitate ab illo sacerdote, ut e vicinitate vocet medicum Doctorem Kemmerling sibi bene notum. Is statim accurrit, vulneratum in sella positum portat in suam domum, ibi adiutus luce miserae candelae instituit diaconis, amicum gravissime laesum in porta vicinae domus destructae ponit et in valetudinarium S. Francisci portandum curat, ut femur dextrum statim amputetur. Forti animo P. Goldmann atroces dolores sustinet. Postero die raro sui conscientiam habet. Proh dolor! confratrum nemo eum visitare potest ob continuum gravissimum belli aërei periculum. Insuper medici telephonice Patri Dudel nuntiarant P. Rectorem versari quidem in condicione gravi, at non desperata.

Insequenti die, festo Omnia Sanctorum, P. Dudel audet longum ac periculosum iter facere e Kunibertskloster ad Sankt-Franziskus-Hospital. Reperit suum dilectum Superiorem moribundum, qui brevi post in osculo Domini quietescit. P. Provincialis von Meurers, qui postea cum Patre Flesch accurrit, suis 30-XI-1944 scripsit: « Aspectus defuncti erat immutatus. Videbatur pacifice dormire ». Sorores Franciscales Aquisgranenses, illius valetudinarii dominae, sponte obtulerunt sepulturam in loco sibi in magno Coemeterio Occidentali (*Westfriedhof*) reservato. Sed P. Goldmann ibi tumulari non potuit nisi d. 6 Novembris; nec quisquam e clero paroeciae aderat, ita ut ipse P. Provincialis solus sacrum ritum perficerit inter continuos stridentes tinnitus, gravis periculi indices, et personante e longinquu tonitru ballistarum ignivomarum (1).

P. Goldmann, cum a. 1905 in perpetuum se SS. Redemptori eiusque Congregationi consecrabat, certe non praevidebat se post quatuor decennia sub adiunctis atdeo saevis mortem et sepulturam habiturum esse. Quid refert? Caput est, quod fidem olim in conspectu caeli terraeque datam religiose per 39 annos

(1) H. TRITZ, *Rundbriefe 1941-1945*, p. 73.

servavit, et quod semper et ubique, pro humana videlicet fragilitate, genuinus Redemptorista esse studuit. Ergo e mundo pacis experti avolavit, ut veram semperiternamque pacem in meliore mundo reperiret.

B. ARENS - C. HENZE

---